



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xj. De Excommunicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

vel ad tempus, vel perpetuò: & ab ingressu Ecclesiæ, & ab administratione, & à beneficio, & alijs pluribus modis^a. Ac ubi interduntur ab Ecclesiæ ingressu, eo casu si in ea celebrare non dubitarint, irregulares efficiuntur^b. Suspensionis verò & interdicti sententia est in scriptis proferenda causa expressa, cuius exemplum est suspensio, vel interdicto petenti infra mensem edendum^c.

Mittuntur etiam interdum in exilium delinquentes ex iuris Canonici constitutionibus^d.

Verberibus quoque fontes affici possunt, dum moderatè id fiat citra sanguinis effusionem, & præsertim citra vitæ & membrorum periculum^e.

Adimitur etiam in pœnam aliquando priuilegium clericale^f.

Indicuntur ieiunia: & Pecuniariæ multæ irrogantur, quæ multæ ipsi tamen iudicum vsui non sunt adscribendæ^g.

Item cessatur quandoque à diuinis, & interduntur Ecclesiæ sacramenta & diuina officia aliquibus in pœnam celebrari & vindictam: de quibus duobus infra separatim sumus dicturi.

Excommunicationis autem pœna etsi capitalis non habeatur^h, omnium tamen pœnarum

A longè maximè formidanda est: de qua mox subiiciemus.

DE EXCOMMUNICACIONE,

TITVLVS XI.

Idendum est igitur de excommunicatione: quæ sicut medicinam affert casti metuenti, atque, vt decet, magni facienti, sic contrà, si fuerit contempta, mortem æternam inuehit excommunicatoⁱ.

Et nihil est aliud excommunicatio, vt Panormitanus Abbas diffiniuit, quàm censura à Canone, vel iudice Ecclesiastico prolata, priuans legitima cõmunionem sacramentorum, & quandoque hominum: vnde hoc nomen accepit, quasi extra communionem^k.

Eaque duplex est, scilicet maior, quæ non sacramentorũ modò, sed etiam hominum cõmunitatem, & cõsociationem adimit: & minor, quæ sacramentorum quidem vsu interdicit, sed hominum consuetudinem^l permittit. Hæcque etiam sola participatione cum excommunicato incurritur¹: quibusdam tamen personis etiam per talem participationem nullum excommunicationis periculũ imminet^m, vt vxoribus, filijs, seruis, ancillis, alijsque, quos nulla est suspicio in crimine ex-

com-

^a elem. cupientes. uersu. de pœnis. ubi gloss.

^b c. is cui. de senten. ex com. in 6.

^c c. 1. de sent. excom. in 6.

^d c. p. de calumniat. c. hi qui. 3. q. 4.

^e c. cum beatus. 45. dist. dist. c. audire. de cri. falsi.

^f c. cum beatus. 45. dist.

^g c. 1. in fin. de calumni. e. in Archiepiscopatu. de rapt.

^h de uita & honest. c. fi.

ⁱ c. dilectus. de offic. ord. c. licet. de pœ.

^j Abb. c. cum contingat.

^k nu. 3. de foro compe.

ⁱ c. 1. cod. tit. in 6.

^k Ab. in Ru. cod. tit.

^l c. fi. 3. q. 4. Ab. c. si celebrat. de clerici. excomm. ministr. Ab. in Re. tit. col. 2.

^m c. inter alia. extra. c. e. quonia multa. 105. 11. q. 3.

communicato famulaturus. At qui minore excommunicatio-
ne est illigatus, si celebrat, nul-
lius tamen notam irregularita-
tis incurrit, licet grauitur pec-
cet, nec eligere prohibetur, nec
ea, quæ ratione iurisdictionis
sibi competunt, exercere: si ta-
men sciens electus fuerit, eius
est electio infirmenda, peccat-
que conferendo Ecclesiastica
sacramenta, sed ab eo collata
virtutis non tamen carent effe-
ctu, cum non videatur à colla-
tione, sed à participatione sa-
cramentorum, quæ in sola con-
sistit perceptione, remotus, dū
modo non in contemptum Ec-
clesiasticæ disciplinæ, videlicet
contra prohibitionem superio-
ris communioni excommuni-
catorum pertinaciter se ingesse-
rit: quo casu est anathemate fe-
riendus ^a.

^a c. si. de cler.
excom. min.

Excommunicatio maior quan-
doque ab homine impingitur,
quandoque à lege irrogatur: à
lege quidem irrogatur, vt ad-
uersus eum, qui in clericum vio-
lentas manus intulerit^b, & alijs
quibusdam casibus: delictorū
enim puniendorum causa vt-
plurimum iura à communita-
te hominum aliquem summo-
uent. Sed homo cum excom-
municationem infligit, quæ po-
testas cuiuis prælato iurisdic-
tionem habenti permilla est,
ferè contumaciæ in pœnam
id facit, quæ contumacia vel nō

^b c. si quis sua-
dente diabo-
lo. 17. q. 4.

A veniendo, vel non parendo cō-
missa si^c.

Irrogatur etiam interdum
excommunicatio maiore qua-
dam solennitate, vt contuma-
cia grauior ostendatur, quæ ex-
communicationis species pro-
prio vocabulo Anathema voca-
tur: eaque fit, cum Episcopum
excommunicationem infligen-
tem duodecim sacerdotes cir-
cunstant, candelas ardentes
manibus tenentes, quas sub i-
psum anathematis intorti fi-
nem in terram proiectas pe-
dibus conculcant, deinde Epi-
stola per Ecclesias parrochas
mittitur continens excommu-
nicati nomen, & excommuni-
cationis causam ^d. Quæ ex-
communicatio tamen nihil graui-
oris oneris excommunicato im-
ponit, quàm alia, nisi quòd ea-
dem solennitate absolui ipsum
est necesse, qua lata fuit. Non
tamen admodum frequenti in-
usu hæc esse videtur ^e.

In excommunicatione ferè
da hoc generaliter est obseruā-
dum, vt non prius in aliquem
intorqueatur, quàm ille trina
monitione cum iustis dierum
intervallis monitus sit, perso-
nisq; idoneis præsentibus fieri
debet: qui secus egerit, etiam si
iusta alioqui fuerit excommu-
nicatio, mensem tamen Eccle-
siæ ingressu erit interdictus, &
grauiori etiā pœnæ subijciatur,
si fuerit visum expedire: nec de-

^c Ab. in Ro.
eo. col. pe. in
prin. c. cum
non ab ho-
min. ubi gl.
de iudi. Ab.
c. cum cōtin-
gat. nu. 31.
de foro com-
pet. gl. c. ex
parte. de
uer. signifi.

^d c. debet. res
q. 3. Felin. co.
2. num. 7.
c. 3. de ex-
cept.

^e Abb. c. cum
contingat.
num. 32. de
foro com-
pet.

*a c. sacro. ubi
gl. c. con
tingit. 2.*

*b c. eod. tit.
in 6.
c. supra de p[re]f.*

*d d. c. si quis
suadete dia
bolo.*

*e c. conque-
sti. extrau.
eod.*

*f c. tua. extra.
eod.*

*g c. significa-
uit.*

*h c. dura. d.
fin. de cri.
jal.*

*i gl. c. Abb.
d. c. dura. in
fin.*

bet vlllo casu excommunicatio sine iusta causa proferri, in scriptisque est promulganda, excommunicationis causa nominatim adiecta, & schedæ exemplum infra mensem, si petitum fuerit, excommunicato est exhibendum^b: Quod etiam in suspensionis & interdicti sententia seruari, supra docuimus^c.

Maior excommunicatio, quæ à lege infligitur, non potest ab alio, quàm ab Episcopo, vel superiore auferri: quinimo plures sunt casus, quibus nec ipse Episcopus ab ea soluere potest, vbi scilicet conditor canonis sibi ipsi reseruauit absoluendi potestatem, cuiusmodi casus multi sunt diuersis in locis enumerati, inter quos infra scripti referri solent, quos gratia exempli subiicimus, cum scilicet Quis in clericum iniuriosas manus intulerit, quibusdam articulis exceptis^d: Si quis Ecclesias perfregerit, & spoliarit^e: Si quis incendium fecerit^f, quod post divulgationem factam accipiendum est: Si quis excommunicatis à summo Pontifice sciens ac spontè participauerit in diuinis officijs^g: Si quis falsas literas se habere cognoscens, illas infra viginti dies neque destruxerit, neque resignarit^h, eaque causa fuerit antè lata sententia excommunicatusⁱ. Hi enim casus, & si qui alij similes sunt per Decretaliū

Epistolarum volumina dispersi, ab absolute Apostolicam desiderant. Sententia verò excommunicationis ab homine prolata, ab eodem etiam auferri potest, à quo fuerit prolata^k: & in minoris quidem excommunicationis vinculo dissoluendo alia solennitas non exigitur, quàm vt sacerdos detectam sibi ab excommunicato causam excommunicationis in sacramento penitentiae cognoscat, & eum absoluat, restituendo eum Ecclesiasticis sacramentis, quibus fuerat priuatus^l. In maioris autem excommunicationis relaxatione maior etiam solennitas adhibenda est, siue à lege, siue ab homine inflicta sit: nam primùm nõ antè absoluendus est, quum offensa est manifesta, quàm iuramento promiserit, se mandatis Ecclesiasticis pariturum^m, & de omni damno illato, omnique offensaplenè satisfecerit, vel saltem cautionem cum iuramento præstiterit, vbi tunc de damni summa non constaret, se satisfacturumⁿ, vel vbi soluendo non erat^o. Quibus peractis ille, qui absoluendi ius habet, vel cui mandatum sit à potestatem habente, huiusce negotij causa aditus excommunicatū corā se suppliciter prosternit seruata forma absoluet^p. Sciendum est eum, qui à diuersis prælatis varias ob causas

excom-

*k Hostien. in
Sum. uer. si
uerò sit la-
ta.*

*l Hostien. in
sum. uerf.
qualiter
hæc absol-
tio.*

m c. extenore.

*n Hostien. u-
suprà, d. se-
cundum.*

*o c. ex parte.
ubi gl. uerf.
contumacia.
ibi, quid se
aliquis ita
pauper. de
uerb. signif.*

*p Hostien. d.
d. secundū.*

excōmunicationis vinculo est innodatus, non posse absolutū nunciari, nisi de omnibus satisfecerit: quamvis de vna causa paratus sit satisfacere, supprimenti quidem veritatem absolutio surrepta non prodest, & veritatem intelligens absolutionem huiusmodi exhibere non debet^a.

^a c. officij. extra. eod.

Semel excommunicatus omni tempore tanquam excommunicatus vitandus est, nisi legitime doceat se absolutum^b.

^b c. sicut no bis. extra. eod.

DE INTERDICTO,
TITVLVS XII.

Interdictum, est sententia à iudice ecclesiastico lata, quæ diuina officia prohibet palam celebrari, & sacramenta Ecclesiastica ministrari.

Interdici autem solent, vel homines, vel loca, vel vtrumq; simul.

Et homines quidem interdico supponi possunt, vel generaliter, vel specialiter, vel singulariter. Generale interdictum hominum dicitur, cum alicuius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis, aut castri populus dstringitur: quo casu locus ipse interdico non continetur, nec clerus. Quare poterit tunc in Ecclesijs non secus, ac prius, celebrari omnibus peregrinis admisis, interdictis tamen exclusis^c. Speciale autem contra homi-

^c Gemin. c. si sententia. col. ij. in fi. de senten. ex com. in 6.

nes dicitur interdictum, cum aliqua multitudo sub certo vocabulo comprehensa, sed in populo inclusa interdicitur: veluti collegium, vniuersitas, Capitulum. Quo interdico singuli eius vniuersitatis, collegij, vel capituli dicuntur adstricti tam clerici, quam laici. Singulariter verò dicuntur interdicti, qui non sub nomine collectiuo multitudinis, sed nominatim sunt expressi^d. Hoc igitur interdicti genus in homines in totum quocunque ex tribus supra dictis modis, hominem quocunque se transferat, vsque comitatur, nunquam eum deserens: quapropter interdictus vbivis locorum cum sit, ab illis actibus arcetur, qui ex interdicti causa sunt prohibiti.

Æquè loca tribus supra dictis modis interdici possunt.

Et generale quidem loci interdictum est, cum prouincia, regnum, vel diocesis interdicitur. Speciale, cum ciuitas, rus, castrum, pagus. Singulare, cum Ecclesia, vel sacellum. Quibus locorum interdictis nunquam homines continentur, quin extra loca interdicta possint diuorum celebrationi interesse, Ecclesiastica sacramenta accipere, & sepulturæ Ecclesiasticæ cōcedi, nisi ex his sint, quorum odio ea loca interdicta fuerint^e. Quo fit, vt cum propter delictum domini, vel rectoris

^d Sum. Arg. uer. interdictum.

^e Sum. Arg. ubi supra